



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. 8. An iudicium praeuium ad voluntatem credendi sit supernaturale,
vel quale sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

rem, non immediate impetrare illam, seu de congruo eam mereri, quia non proxime disponit ad illam secundum doctrinam fidei, sed mediante poenitentia, & charitate. Meretur ergo (ut Augustinus saepe ait) auxilium bene ulterius operandi, & ad ulteriorem gratiam se disponendi; nam qui cum divina gratia bene utitur priori auxilio, maius obtinere meretur aliquo modo, unde etiam est probabile, per voluntatem credendi mereri hominem de congruo, & quasi immediate auxilium proxime adiuvas intellectum ad credendum. Nam illa voluntas est quasi dispositio proxima ad ipsum actum credendi, & eiusdem ordinis.

Secunda pars resolutionis quoad meritum de condigno.

16. Quoad meritum autem de condigno, dicendum est, primum actum fidei, si fiat ab homine iam iustificato, esse meritorium de condigno augmenti gratiae, & gloriae, siue sit coniunctus cum actu charitatis, siue non, quando vero praecedat gratiam iustificantem, ut sic non esse meritorium de condigno, tamen in eodem instanti, in quo credens iustificatur, incipere illum actum esse meritorium de condigno, non gratiae, sed gloriae. Haec omnia facile constant ex principiis positum in materia de Gratia lib. 12. c. 14.

Probatur. exemplum illius qui primum actum fidei elicit in gratia.

& 15. Et prima quidem pars locum habet in homine baptizato in infantia, quando in aetate adulta incipit fidem exercere, retinens adhuc gratiam baptismalem; nam in illo primus actus fidei est ab homine grato; ergo ex hac parte est meritorius de condigno. Deinde non est necessaria relatio charitatis, quae per proprium actum ipsius operantis, vel praesentem, vel praeteritum facta sit, quia sufficit quasi naturalis tendentia illius actus in finem supernaturalem: nam ut dixi in mater. de grat. loco citato, in num. 14. virtutes infusae, & earum actus, ab intrinseco, & ex se referuntur in finem supernaturalem, & haec relatio sufficit ad meritum de condigno: ergo multo magis sufficit in actu fidei, & voluntate credendi, quia etiam sunt actus per se infusi, & propinquiore Deo, & fini supernaturali. Unde etiam constat, in eo casu, primum actum fidei mereri augmentum gratiae, & consequenter gloriae, quia supponit gratiam primam, & nihil aliud requiritur ex hoc capite, ad meritum augmenti gratiae.

Deinde illius qui elicit extra gratiam.

17. Altera vero pars locum habet in homine, qui ab infidelitate, ad fidem convertitur eliciendo primum actum fidei: & cum proportionem habere potest locum in homine peccatore, qui ut se incipiat disponere ad gratiam, aliquem actum fidei elicit. De illo ergo primo actu, si tempore antecedit gratiam, manifestum est, pro illo tempore, non esse meritorium de condigno, propter indignitatem personae operantis. Si vero solum antecedit ordine naturae, etiam in illo priori, seu secundum rationem illam, nondum spectatur ut meritorius de condigno, propter eandem rationem cum proportionem applicatam: nam & ipsa contritio prout prior natura gratia habituali, non est meritoria de condigno. At vero si in eodem instanti persona iustificetur, actus fidei incipit esse formatus, & ideo statim sit meritorius de condigno, non quidem primae gratiae, quia illam supponit, nec augmenti gratiae, quia non sit in eodem instanti, sed primae gloriae, quia nondum est collata, & potest ex iustitia homo ad illam acceptari, sicut de contritione ipsa alias diximus lib. 12. de grat. c. 24. & 28. nec ad hoc meritum erit necessarius actus charitatis, sed sufficit infusio iustitiae habitualis, ut si per sacramentum fiat in homine tantum attrito, propter rationem factam in numer. praeced. quae hinc eodem modo locum habet, ut per se constat.

SECTIO VIII.

An iudicium praecedens intellectu ad voluntatem credendi sit supernaturale, vel qualenam sit?

Hae quaestio semper mihi visa est valde difficilis, & difficultatem auxit, quia ferè nihil

inueni de illa dictum à Doctoribus. Suppono autem in illa, ante voluntatem credendi, saltem ordine naturae, necessarium esse iudicium practicum, quo homo sibi persuadeat bonum, & honestum, & rationi consentaneum esse, velle credere, quod attigit D. Th. 2. 2. q. 2. art. 9. ad 3. & probat: quia qui vere credit fide divina, non leuiter credit, quod nos etiam late probauimus disp. 4. sect. 2. tractando de propositione obiecti fidei. Ut autem voluntas moueatur ad volendum credere, necessaria est praecognitio illius obiecti, quia nihil volitum, quin praecognitum: rursus, ut non leuiter moueatur, necessarium est illud iudicium, ut per se manifestum est. De hoc ergo iudicio inquiri, An supernaturale sit necne? & ut melius intelligatur difficultas, rationes dubitandi pro utraque parte proponam.

2. Primo ergo illum actum supernaturalem esse non posse, ostendo, quia vel liber est, vel necessarius: liber esse non potest, quia iam supponeret voluntatem ita iudicandi, determinantem intellectum ad illud iudicium, quia non est libertas in iudicio, nisi per denominationem ab actu libero voluntatis, non potest autem talis actus voluntatis supponi, quia ad illum necessarium esset alius prius iudicium, propter rationem factam, quod nihil volitum quin praecognitum, de quo effato non nihil dixi disp. 23. Metaph. sect. 7. Exita procederet in infinitum: si tamen ergo est in iudicio necessarius, quod fundet voluntatem credendi, & ita in terminis facit inter modernos, Aragon. 2. 2. q. 2. art. 9. At vero si actus est necessarius, non potest esse supernaturalis, quod probo. Quia actus intellectus non est necessarius, nisi sit evidens, quia sola euidencia cogit intellectum: ergo si illud iudicium est necessarium, plane tale est ratione euidenciae: at illa euidencia naturalis est, quia nullum est lumen euidens supernaturale in hac vita, loquendo secundum legem communem, & de ordinario auxilio necessario ad credendum: ergo est actus naturalis, quia naturalis euidencia non causat nisi certitudinem naturalem, neque inducit necessitatem, nisi respectu virium naturalium. Secundo potest directe probari, illum actum esse naturalem, quia ratio, & medium, per quod habetur, naturale est, & per discursum naturalem fieri potest, quia illud iudicium est de credibilitate obiecti fidei, & in sufficienti eius propositione fundatur, ex qua resultat hic discursus: *Quidquid sufficienter proponitur, est credibile, hoc obiectum sufficienter proponitur: ergo est credibile*: in quo discursu maior est nota per se lumine naturali: minor etiam experimento cognoscitur, ut supra visum est: ergo iudicium de conclusione naturale est, per illud autem iudicium potest voluntas moueri, ut velit credere, quia sufficienter illi applicatur obiectum, quod est ipsum credere sub ratione boni, & honesti, quia si obiectum est credibile secundum rationem rectam, etiam ipsum credere honestum est: ergo per naturale iudicium sufficienter proponitur obiectum, ut voluntas possit velle credere. Et confirmatur. Nam si esset necessarius alius actus supernaturalis, vel ille esset supernaturalis quoad substantiam, vel tantum quoad modum. Primum non videtur verosimile, quia actus supernaturalis quoad substantiam non datur, nisi ex motiuo aliquo supernaturali: ante motiuum autem fidei, non praecedit motiuum aliquod supernaturale, quod intellectum moueat ad tale iudicium: imo ratio facta ostendit, motiuum sic iudicandi, esse naturale. Secundum etiam, de supernaturalitate quoad modum, non videtur habere locum in nostra doctrina: nam saepe diximus, in his actibus, non posse intelligi modum supernaturalem, si substantia supernaturalis non est: quia in eis non est alius modus inherens accidentalis, nisi intentio, quae necessaria non est: certitudo autem, claritas, vel obscuritas, ad substantiam pertinent: ergo non superest supernaturalitas, quae in tali actu cogitari possit.

Supponitur: si deinde dicitur iudicium ad voluntatem credendi.

Arguitur: si tale iudicium supernaturale non esset.

2.

Confirmatur.

3. Ex

Argumentum in co-
ntrarium.

Prima ratio

Secunda ra-
tio.

Tertia.

Prima die-
di motus in
proposita
quaestione.

Est funda-
mentum.

Constitutio

3. Ex alia vero parte, quod actus illi debeat esse supernaturalis, etiam quoad substantiam, videtur efficaciter probari ex illo principio. Quod gratia est simpliciter necessaria ad actum illum intellectus, qui voluntatem credendi antecedit, hoc autem principium expressè traditur ab Augustino lib. de praedestinatione Sanctorum cap. 2. Vbi hac occasione distinguit cogitationem credendi ab ipso credere; nam prius, inquit, cogitandum est, an sit credendum, quam credatur, illa ergo cogitatio antecedit totum actum credendi, & consensum, seu voluntatem credendi, & de illa cogitatione dicit, non posse haberi sicut oportet ab ipse Gratia, ex illo 2. ad Cor. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, quod potissimè intelligitur de sancta cogitatione, quae inducit ad opus pietatis: qualis sine dubio, est cogitatio inducens ad volendum credere: ergo illa est ex gratia, & non ex nobis. Vnde Caelestinus primus, epistola prima ad Episcopos Galliae: Deum, inquit, ita operari in cordibus hominum, ut omnis sancta cogitatio primum consilium, & bona voluntas, ex Dei operatione proveniat: cogitatio autem, & consilium credendi satis primum est; ergo est ex Gratia; quod etiam confirmat Concilium Mileuit. can. 4. generaliter dicens, Donum esse Deifidei, quid facere debeamus, & in vniuersum, huiusmodi scientiam donum esse Dei, de quo scriptum est, qui docet hominem scientiam; ergo illa scientia, seu cognitio, per quam generatur voluntas credendi, donum Dei est, & opus gratiae. Ex hoc ergo principio videtur concludi, illum actum esse supernaturalem, quoad substantiam, maxime in nostra doctrina. Primum, quia propter similia testimonia diximus, voluntatem credendi esse supernaturalem quoad substantiam; hanc autem non est minus necessaria gratia ad illam cogitationem praeuiam, quam ad ipsam voluntatem; quia haec necessitas non est tantum per accidens, sed per se, & ex natura fidei; ideoque in omni actu, & in omni credente necessaria est illa gratia, etiam si nulla alia difficultas occurrat, praeter eam, quae intrinseca est ipsi fidei. Vnde sequitur alia ratio, quae saepe vsumus, quia talis necessitas gratiae solet esse propter substantiam actus, neque assignari potest modus, propter quem sit necessaria. Tercio est apparet ratio, quia voluntas sequitur intellectum, ergo non prius eleuatur voluntas ad supernaturalem actum, quam intellectus: ergo si voluntas credendi supernaturalis est, debet supponere in intellectu actum supernaturalem, aliàs etiam posset voluntas sperare, & amare supernaturaliter, sine praeuigilatione supernaturali in intellectu.

4. In hoc puncto, quia difficilis est resolutio, proponam prius nonnullos credendi modos, qui vel inuenti, & asserti sunt, vel cogitari possunt. Primus est ante voluntatem credendi, non esse necessariam, secundum ordinariam legem, aliam cogitationem, vel iudicium praeter illud quod ex vi aeternae propositionis obiecti fidei sufficientis, potest formari; & concipi ab intellectu per suas naturales vires, & suo lumine, ac discursu operante. Cuius fundamentum praeceptum est, quod secundo loco pro priori parte proposui in nu. 2. & quia propositio fidei ideo sufficientis existimatur, quia potens est ad inducendum intellectum, ut iudicet esse credenda, quae proponuntur; nam si praeter illud, aliquid aliud interius requiritur, propositio illa non potest dici sufficientis. Nihilominus tamen fatetur haec opinio propter argumentum pro contraria parte factum in nu. praeced. illam cogitationem, quae ex propositione externa in intellectu resultat, esse opus gratiae, & donum Dei, ut Concilia, & Patres tradunt, quia & ipsa sufficientis propositio supernaturalis est aliquo modo, & non solum per illam, sed etiam interius immediate Deus influit in cogitationem ipsam, qui influxus non est naturae debitus, & ideo est opus gratiae, & donum Dei, quod confirmari potest ex Augustino de Fide.

lib. de spir. & lit. c. 34. vbi dicit, Deum interdum mouere ad fidem tantum interius, interdum vero per exteriora obiecta, hic autem est modus ordinarius de quo loquimur: quare &c.

5. Hae vero sententia nullo modo probanda est, ut etiam intelligi potest ex ijs quae lib. 1. de grat. à capite 11. disserui; nam Pelagius confitebatur, esse necessariam ad credendum diuinam reuelationem, & exteriorem praedicationem sufficientem, & nihilominus damnatus est, quia praeter hanc praedicationem, nullam aliam internam gratiam praueinentem dicebat esse necessariam ad credendum, vel ad volendum credere, ut constat ex Augustino toto primo libro de grat. Christi, & magis in particulari, lib. de praedestinat. Sanctorum cap. 2. 9. 16. & 19. & ex alijs locis, & concilijs, quae paulo post citabo, illa vero sententia multum videtur accedere ad hanc doctrinam, quia si exterior praedicationis sufficit, ut intellectus suis proprijs viribus faciat quicquid necessarium est, ut voluntas praebat fidei consensum perfectum, nulla interna gratia est ex parte intellectus, ut voluntas velit credere; vnde etiam fiet consequens, ut ipse consensus voluntatis, per naturales vires liberi arbitrij tribui possit; quia liberum arbitrium potest sequi intellectum, & illi naturaliter imperanti obedire. Respondent aliqui non sufficere, quamcunque praedicationem, etiam sufficientem, sed necessariam esse congruam, ut homo ita iudicet de credendis, sicut expedit, ut conuertatur: illam autem congruitatem esse ex gratia, quia non est debita, neque datur omnibus, & ideo cogitationem internam, à tali praedicatione prouenientem esse specialem gratiam: sed hoc nullo modo satisfacit, primo, quia illa congruitas non semper consistit in maiori auxilio, sed in sola temporis oportunitate à Deo praecognita, ut in materia de Gratia dictum est, lib. 1. cap. 12. & lib. 5. Iam, ad credendum autem requiritur ante voluntatem credendi, non solum illa congruitas, sed etiam speciale auxilium, ut constat ex allegatis testimonijs. Vnde illa congruitas spectari debet, non solum in externa praedicatione, sed etiam in interiori auxilio. Secundo est etiam euidentis argumentum: quia non solum vocatio efficax, & congrua ad credendum, est opus gratiae, & supernaturale, sed etiam vocatio sufficientis, licet congrua non sit, ut aperte sumitur ex Trident. loco statim citando: ergo praeter congruitatem, supponi debet auxilium internum supernaturale: sola autem cogitatio, quae resultat ex praedicatione externa, licet non fiat sine interno concursu Dei, naturalis est: quia ille concursus tantum est generalis, & ordinis naturalis, ac debitus ex vi propositionis talis obiecti: ergo talis cogitatio sola non potest dici gratia interna, neque sufficientis ad supernaturalem voluntatem credendi, cuius etiam signum est, quia in haeretico, circa ea quae credit, inuenitur similis cogitatio, & iudicium ortum ex tali propositione obiecti, & de facto congruum, ut sequatur voluntas credendi talia obiecta, & nihilominus totum illud in haeretico, est opus naturae; non gratiae, quantum supponat praedicationem externam in suo genere supernaturalem: ergo ad volendum credere sicut oportet, altior cogitatio necessaria est, quam possit fieri solis naturae viribus, etiam sufficienti praedicatione supposita.

6. Est ergo secundus modus extreme contrarius, dicens, ante voluntatem credendi necessariam esse iudicium supernaturale quoad substantiam de credibilitate obiecti fidei, & consequenter, quod honestum sit credere: quae sententia generatim loquendo, fundatur in argumentis secundo loco propositis, quia vero statim occurrit inquirendum, cuius virtutis aut doni sit illud iudicium. In hoc explicando varij sunt modi. Quidam dicunt illud esse verum assensum fidei infusum, nam ut supra dixi disp. 4. duplex est credibilitas in obiecto fidei, una quae resultat

Impugnatus
prædictus
modus.

Quorundam
responsio ad
impugnatio-
nem.

Non satisfacit,
cit. 1.

Non satisfacit,
cit. 2.

Secundus di-
cendi modus
contrarius
primo.

Ut quidam
modum hunc
explicent, &c.
inaccant.

ex motibus humanis, & euidenter cognitis. Alia quæ refultat ex auctoritate diuina, quod enim Deus testificatur, credibile est, maxime ex auctoritate ipsius Dei. Vnde quando priori modo res fidei iudicantur credibiles, iudicium est naturale: quia & fundatur per se in motibus creatis, & in quadam euidētia naturali: iudicium autem de credibilitate posteriori modo spectata supernaturali, quia fundatur in auctoritate Dei, & non est euidēs, quia quod Deus talia testificatur non est euidēs. Vnde concluditur tale iudicium esse fidei assensum, quia est obscurus, & certus, & in auctoritate Dei fundatus, dicit ergo hæc sententia, ante voluntatem credēdi, quod res reuelata vera sit, necessarium esse iudicium credibilitatis, non tantum priori, sed etiam posteriori modo, & ita esse supernaturale, & esse quandam actū fidei.

Refelluntur
aperta ra-
tione,

7. Hæc vero sententia sic explicata, mihi est incredibilis, non quia negem illud iudicium supernaturale de credibilitate, esse possibile, & quando sit, esse actum fidei: nam hoc sine dubio verissimum est, vt probat discursus factus: & quia sicut fide credimus non solum esse verum, quod à Deo dicitur, sed etiam quod sit ab eo reuelatū, ita non solum credimus esse verum, sed etiam esse credibile, quod reuelatum est, imo in ipso, credere, necessario includitur, vt eadem fide credimus esse credibilia, quæ vera esse credimus, & hoc modo, multo firmitus credit Christianus esse credibiles res fidei, quam per solam euidētiā, vel motiua humana, appareant credibiles. De hoc ergo non est dubium. Nihilominus tamen nego, & incredibile iudico, tale iudicium credibilitatis esse per se necessarium ante primam voluntatē credēdi. Quod probo argumento facto, quia tale iudicium est actus fidei: ergo voluntarius, ergo supponit voluntatem credēdi, saltem illud obiectum: ergo illa voluntas supernaturalis erit, iuxta principia posita, ergo non est verum illud iudicium esse necessarium ante primam voluntatē credēdi, & redibit quæstio de illa voluntate, à quo iudicio oriatur: prima consequentia patet, tum quia ille assensus est obscurus, vt supponitur: ergo non est necessarius, neque ad illum determinatur intellectus ex vi motiui, ergo ex voluntate: tum et, quia ille est actus fidei de cuius ratione est, vt sit voluntarius, vt supra visum est.

Prima euasio
ad præcedē-
tem rationē.

Improbatur.

8. Duo sunt modi respondendi ad hanc rationē. Primus est illum actum fidei esse voluntarium eadē voluntate, quæ ex illo subsequitur: nā illi duo actus intellectus, & voluntatis, secundum diuersas rationes, seu qualitates possunt esse ad inuicem prius, & posterius: sed hæc responsio probabilis non est: tum quia alias nunquam primus actus intellectus simpliciter præcederet actum voluntatis, quod est contra omnes Doctores, & Philosophos: tum etiam quia ille actus fidei, non utique voluntarius est, scilicet obiectiue, seu per denominationem ab actu voluntatis quem terminat, sed etiam est liber, & ideo est voluntarius etiam effectiue seu motiue: vnde in nullo instanti, aut signo naturæ, potest inchoari, aut intelligi existens ante motionem voluntatis: & è contrario, actus voluntatis, sub nulla ratione spectatus, potest ferri, nisi in cognitum, & ideo simpliciter, & cum quacunque ratione, supponit actum intellectus, illi obiectum proponentem: ergo si ille actus fidei nullo modo proponit obiectum voluntati, à qua procedit, vel è conuerso, si proponit obiectum primæ voluntati credēdi, non potest esse ipse voluntarius, & liber.

2. Euasio.

9. Vnde est alter respondendi modus qui concedit actum illum, etiam si certus, & obscurus sit, nihilominus esse necessarium, non ex intrinseco medio, aut propria virtute, sed ex influxu diuino: nā Deus potentia sua immittit illum actum in intellectu, per modum gratiæ excitantis, quæ vt constat ex materia de Gratia, antevertit nostram libertatem. Qui

autem sic respondent, non in alio fundantur, nisi quia hoc non repugnat, & aliunde videtur necessarium, tum ad explicandam excitantem gratiam internam, quæ in intellectu antecedit ad voluntatem credēdi, tum etiam quia ille actus videtur omnino necessarius, vt fundet talem voluntatem. Sed hæc responsio mihi etiam valde displicet: primo quia est aliena à doctrina Augustini dicentis *cetera potest homo nolens, credere autem non nisi volens*, quam Diuus Thomas, & omnes Doctores amplectuntur, & supra probauimus, esse valde consentaneam fidei. Hæc autem doctrina non datur de vno, vel altero actu fidei, sed simpliciter de tota fide, quia reuera habet eandem rationem in omnibus actibus fidei, & ideo Concilium Araus. simpliciter dixit, *affectum credēdi esse initium fidei*: Quocirca licet verum sit, non implicare contradictionem, Deum necessitare intellectum ad talem actum, hoc tamē non est secundum naturam talis actus, & ideo non est secundum ordinariam prouidentiam Dei: aliquin idem dici posset de quolibet actu fidei: nam in quolibet inuenitur illa non repugnantia in ordine ad absolutam potestatem Dei. Vnde confirmatur, quia incredibile est, non posse hominem induci ad credendum aliquid libere, nisi prius necessitetur ad aliquid credendum eadem fide, & ex eadem auctoritate Dei, cum ille modus credēdi, ex necessitate sit, & præter naturam fidei, & præter conditionem hominis liberi.

Impugnatur
primo.

10. Deinde interrogo, An ex illo actu fidei necessario, sequatur etiam ex necessitate, voluntas credēdi, esse verum, quod iam iudicatum esse credibile, An vero stante illo primo actu fidei, possit voluntas non credere? neutrum dici potest probabiliter: ergo. Minor probatur, quoad primam partem: nam inde sequitur, voluntatem credēdi non esse liberā, quia illud prius iudicium non est liberum, & illo posito, necessario sequitur voluntas credēdi: ergo est illa necessitas simpliciter antecedens, quæ tollit libertatem, vt constat ex materia de Gratia. Vnde etiam sequitur, omnem hominem, qui non necessitetur à Deo ad illum primum actum fidei, quod sit credendum, vel credibile id quod proponitur, non habere voluntatem ad credendum, quia non habet in sua potestate illud iudicium, nisi à Deo necessitetur, & sine illo non potest credere, neque potest dici hoc esse in illius potestate, ratione alicuius dispositionis remotæ: quia ad illam etiam requiritur supernaturale iudicium, & redibit eadem quæstio: si vero altera pars eligatur, quam magis sequuntur qui ita opinantur, sequitur hominem simul credere aliquid fide vera, & infusa, & fieri infidelem nolendo aliquid aliud credere, quod repugnat, quia qui aliquid non credit, eo ipso totam fidem amittit; sequela patet, quia illud iudicium hoc est credibile secundum rectam rationē, est verus actus fidei, iuxta hanc opinionem, & illo posito stat, nolle credere esse verum, quod proponitur, per quam voluntatem fit homo infidelis; ergo simul credit fide infusa, & est infidelis. Imo si attente consideretur, non potest fieri infidelis culpabiliter, nisi prius sit fidelis, & credat: quia donec iudicet hoc esse credibile, per illum actum necessarium, non potest male agere non credendo, quia nondum habet libertatem ad volendum credere, quia sine illo iudicio non potest homo velle, & illud iudicium non habet, donec ad illud necessitetur. Tandem inde sequeretur, nullum infidelem resistere fidei sibi propositæ cum infidelitatis culpa, nisi prius iudicet, illas res propositas esse credibiles, & credēdas secundum rectam rationem: quod sine dubio est nimis falsum, & contra communem doctrinam, & quasi experimentiam.

Impugnatur
a principali-
ter.

11. Et hinc facile probari potest, non dari virtutem infusam, seu donum intellectualem, ad quod tale iudicium pertinere possit. Primum enim non pertinet ad prudentiam infusam; quia hæc supponit fidem,

Impugnatur
a principali-
ter inductio-
ne.

Sup. 1. l. 11.

Adem, & in illa fundatur. Vnde rationes factæ de fide, à fortiori probant de prudentia infusa; nam iudicium prudentiæ infusæ, etiam est obscurum, & certum, ideoque simpliciter est actus liber, & solùm potest habere necessitatem ex propositione fidei; cum ergo ante voluntatem credendi, non supponantur principia fidei credita, non potest intellectus necessitari ad iudicium prudentiæ infusæ quantum est ex dispositione intrinseca intellectus; neque etiam ille actus potest esse liber, quia neque supponit voluntatem; ut probatum est, neque etiam voluntas potest moueri ad assentiendum conclusioni sine principis. Vnde sicut repugnat habere actum scientificum Theologicæ sine fide, ut supra probatum est, ita etiam repugnat habere actum prudentiæ infusæ ante fidem; aliter enim, Deum miraculosè mouere, & necessitare ad talem actum, ante fidem, res est nimis violenta, & illius assertio nimis voluntaria, quæ facile improbari potest assumptis omnibus argumentis de fide factis, ne illa repetamus; & hæ rationes probant à fortiori, illud iudicium non esse donum consilij, quia etiam hoc donum supponit fidem, imò & gratiam, ut statim dicam, & præterea consilium, ut est speciale donum Spiritus Sancti, non datur ad operandum, aut volendum secundum leges, & regulas ordinarias, sed iuxta motionem Spiritus Sancti, præter communes regulas: ac verò motio ad voluntatem credendi, non est extraordinaria, sed secundum regulas communes fidei: ergo incredibile est donum consilij esse per se necessarium ad credendum, & ante voluntatem credendi: neq; minus incredibile esse posse infidelem V. g. qui audit res fidei, necessitari ab Spiritu Sancto ad iudicandum per donum consilij res illas esse credendas, & nihilominus manere infidelem: necessitabitur ergo simul ad voluntatem credendi. Eademq; argumenta fieri possunt de dono scientiæ, & sapientiæ, præterquam quòd hæc dona non solum prærequirunt fidem, sed etiam multo maius lumen, quam solet esse in his, qui ad fidem conuertuntur. De dono autem intellectus, non desunt, qui illi tribuant hoc iudicium, allegantes D. Tho. 2. 2. in q. 8. art. 5. ibi tamen aperte docet, non esse munus doni intellectus; iudicium ferre de credendis, & nos etiam in materia de Gratia lib. 2. cap. 19. idem diximus: alius non posset distinguere à scientia, & sapientia. Docet etiam ibidem D. Thomas, art. 4. donum intellectus supponere gratiam gratum facientem: ergo proprius eius actus non potest supponi, non solum ante gratiā, sed nec etiam ante fidem: quæ ratio de omnibus donis procedit. An verò aliqua imperfecta participatio huius doni antecedit voluntatem credendi, statim dicam.

Affert. 1. in diti credi. bilitas habet ex propositione fidei naturalis est.

Inde probatur primo.

Inde probatur secundo.

12. Mihi ergo media quædam sententia inter cæteras placet, quam tribus assertionibus breuiter explicabo. Et imprimis assero iudicium credibilitatis, quod antecedit voluntatem credendi naturale esse secundum substantiā suā, & elici posse naturali discernu, & lumine intellectus, cum generali concursu Dei, & supposita sufficienti experientia signorum, seu motuorum fundantium talem credibilitatem. Hæc assertionem mihi probant rationes dubitandi priori loco positæ in nu. 2. & rationes proximè factæ contra præcedentem sententiam, seu modum secundum dicendi. Item si hoc iudicium sumatur quasi in vniuersali, & speculatiuè, est suo modo evidens, & scientificum; est ergo naturale, ut probatum est etiam supra disp. 4. sect. ult. Si verò sumatur, ut iudicium practicum, quod respicit circumstantias, & mouet ad executionem, sic etiam per se pendet à priori iudicio, & ab eodē medio ad particulare applicato: ergo nō transgredit ordinē naturæ, neq; speciem naturalis prudentiæ: & hæc conclusio nem tradit Gabr. in 3. d. 24. dub. 1. & Almayn. dub. 2. Ocham quodlib. 4. q. 10. & idem sentit Aragon supra, &

Albertin. sect. 6. nu. 3. citatus in suo pun. 4. & moderni alij communiter loquentes de euidentia credibilitatis: docent enim illam euidentiam esse naturalem: vnde sit iudicium etiam in illa fundatum esse naturale.

13. Dico secundò, hoc iudicium solum non sufficit, ut voluntas velit supernaturaliter credere, sed necessaria est illuminatio specialis Spiritus Sancti, quæ, ut est in intellectu, supernaturalis est, & in voluntatem etiam redundat. Hanc assertionem attigi lib. 2. de Grat. c. 3. à nu. 76. & tradiderunt Vega lib. 6. in Trident. c. 8. & Molin. in Concord. q. 14. disp. 7. in fi. & d. in principio, & sumitur ex Diu. Tho. 2. 2. q. 2. art. 9. ad 3. dicente, Eum, qui credit habere sufficientem inducendum ad credendum, ex testimoniis, & miraculis, & quod plus est, ex instinctu Dei interius mouentis: imò probari videtur aperte ex Tridentino: nam Probatur ex sess. 6. c. 6. sic ait, disponuntur autem ad iustitiam dum excitati diuina gratia, & adiuui, fidem ex auditu concipientes, libere mouentur ad credendum &c. ergo ex doctrina Concilij, ante liberam voluntatem, duo requiruntur, scilicet, auditus fidei, ad quem pertinet tota exterior propositio sufficientis fidei, & interna excitatio, quam idem Concilium statim declarat, in illuminatione Dei consistere, à qua dixerat c. 5. sumi exordium salutis, vnde quod Canone 3. definit, neminem posse credere sicut oportet, sine Spiritu S. prauementis illuminatione, & inspiratione, planè intelligit de ipso, credere, ut est liberum, atq; adeo, etiam de voluntate credendi, & eodem modo intelligo definitionem Concilij Araus. c. 5. Quod affectus credendi sit ex gratia: Et ex Araus. nam illa gratia explicatur esse diuina illuminatio, & inspiratio. Vnde c. 7. expressè dicit, hominem non posse assentiri prædicationi salutari, sine præiua Spiritus Sancti illuminatione. Eadem est frequens doctrina Aug. tum locis citatis, tum lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum c. 8. & q. 2. ad Simplicianum, & lib. de bono perseuerantiæ c. 13. & 14. & epist. 107. Quibus locis ait, esse aliam, & secretam interiorem doctrinam, quam Spiritus S. docet, & illam sentit esse necessariam, præter externam doctrinam: nam hæc externa mouet sensum, illa externa accommodat assensum, & similia habet Gregor. homil. 30. in Euang. & Prosper. ad obiectionem 5. Gallo-

Affert. 2. ad prædictum iudicium debet accedere supernaturalis illuminatio, ut voluntas Christiana, ne credendi, eliciatur.

Probatur ex Trident.

Et ex Araus.

Et ex Patribus.

14. Tertio dicendum est, supernaturalem illuminationem, quæ in intellectu præcedit ad voluntatem credendi, non esse necessariam per se, propter iudicium credibilitatis, sed propter supernaturalē actum voluntatis, id est, non est necessaria, ut illud iudicium fiat, sed ut illud adiuuet ad excitandum, & obtinendum actum voluntatis. Per hanc assertionem declaro, & rationem præcedentis conclusionis, & solutionem præcipuæ difficultatis supra positæ, quæ in hoc consistebat, quod si gratia est necessaria ad iudicium de credendis, seu quòd credendum sit, oportet illud iudicium esse in se, & in sua substantiā supernaturale. Respondemus autem, duo posse in illo iudicio considerari. Vnum est, quod sit quidam assensus fundatus in testimoniis, & signis humanis, vel diuinis, per humanam experientiam cognitis aliquo modo: & sic dicimus non esse necessariam per se gratiam internam ad talem actum quoad substantiam eius, hoc enim sufficienter probat obiectio facta, & alia quæ adducta sunt pro prima assertionem: neque Concilium Araus. & alia requirunt gratiam internam propter illud iudicium, sed propter voluntatē supernaturalem. Secundò ergo potest considerari in illo iudicio potestas, seu efficacia ad mouendum voluntatem, & quasi eleuandam ad actum supernaturalem, & ad hoc dicimus esse necessariam, ut cum illo iudicio coniungatur aliqua diuina illuminatio, ut recte sentit D. Th. d. q. 2. ar. 9. ad tertium. de qua illuminatione dicit q. 8. art. 5. reduci ad donum intellectus;

Affert. 3. dicta illuminatio non requiritur ad formandum illud iudicium, sed ad eleuandum ut exciet voluntatem, suaderetur ex utilitate ad expediendam difficultatem.

Et ex neces-
sitate dicta
illuminatio
nis,

quia facit concipere res Fidei, sicut oportet, ut voluntas ad illas supernaturaliter credendas intellectum mouere possit. Et sic etiam dixit Aug. illam gratiam esse doctrinam internam, per quam Deus ita mouet sensum, ut accomodat assensum, epist. 107. Et hanc necessitatem ostendit etiam alia difficultas supraposita, quia actus intellectus mere naturalis non potest per se sufficienter mouere voluntatem ad actum supernaturalem, adiuncta vero dicta illuminatione, potest dictam motionem efficere, vel ad illam concurrere, & ita etiam patet ratio huius necessitatis: quia, ut voluntas moueatur, praesertim honeste, ac prudenter, duo sunt necessaria scilicet sufficiens apprehensio obiecti, & iudicium quod expedit in illud credere: quia ergo voluntas credendi honesta, est etiam supernaturalis, requirit ex vna parte iudicium prudens de credibilitate obiecti: quia vero illud iudicium datur de obiecto supernaturali, per medium naturale, ideo necessaria est illuminatio diuina, quae eleuet intellectum ad concipiendum illud obiectum altiori, & supernaturali modo, ut voluntas ad illud etiam supernaturaliter credendum afficiatur, & ita possit intellectum mouere sicut oportet: & ita manet confirmata, & declarata nostra sententia, & responsum simul est ad difficultates, quae in contrarium proponebantur.

SECTIO NONA.

In quibus personis actus fidei esse possit.

Causa alia
actui fidei
alio remittuntur.

Explicauimus hactenus naturam, & proprietates actus fidei: nunc superest breuiter, ut de causis eius in praesenti sectione, & effectibus in sequenti dicamus. Et causae quidem fere omnes explicatae sunt, declarando naturam fidei: cum enim actus ipse credendi sit quaedam forma intellectus, non habet aliam causam formalem praeter obiectum suum, de quo supra multa dicta sunt. Materialis autem causa eius propria, est intellectus, in quo inest, quoad ipsam credulitatem, vel voluntas, quoad affectum credendi: causa autem finalis fidei dici potest, vel vita aeterna, vel iustificatio, vel purificatio cordis, quae in sectione sequenti breuiter attinguntur: nam finis, & effectus in idem coincidere solent. Causa autem efficiens fidei duplex distingui potest. Vna est Deus: alia ipse credens: de priori iam dictum est, Deum esse causam fidei non solum, ut est Auctor naturae, sed etiam ut est Auctor gratiae, ac proinde ipsum esse causam primariam, & principalem huius effectus, ut latius constat ex materia de Gratia lib. 3. c. 3. Ex parte vero credentis concurrunt intellectus, & voluntas, modo supra explicato, & ideo cum actu causis nihil superest dicendum. De personis autem, in quibus potest actus fidei inueniri, quia illae etiam sunt causae fidei, & efficiens, & substantia, quatenus Fides est actus immanens in ipso credente, aliquid superest dicendum.

Sola subiectiua tractanda.

Tam Angeli quam homines sunt capaces fidei.

2. Et primo supponimus, tam hominem, quam Angelum esse capax fidei, omnis inferioribus creaturis, quae cum ratione non videntur, non possunt ad huiusmodi actus eleuari, & de hominibus quidem, res est clara: de Angelis vero, etiam est certa, ut lib. 5. cap. 5. docui, quia ordinantur ad eandem beatitudinem, quae illis etiam supernaturalis est, & ideo prius fuerunt viatores, quam beati. Fides autem est per quam omnes in via ambulamus, ut Paul. dixit. Item quia Angeli non cognoscunt supernaturalia per suum naturale lumen, ut constat ex 1. p. q. 57. tradidique in lib. 2. de Angel. c. 29. & 30. & ideo sunt capaces diuinæ reuelationis, non solum intuitiue, sed etiam abstractiue, & obseque: atque ita sunt etiam capaces Fidei, ut D. Tho. 2. 2. q. 5. docet. Solet autem hic specialiter dubitari de primo Angelo, quia non potuit non habere euidenciam testificantis, quae

Etiam primus Angelus capax est fidei.

conferatur Fidei repugnare: sed de hoc nobis sufficiunt supra dicta disput. 3. sect. 8. Vbi ostendimus euidenciam in testificante ortam ex folis signis naturalibus non excludere Fidem, quia non per se fundat illam, neque certitudinem eius, sed tantum concurret ex parte proponentis, & hoc tantum modo inueniri potuisse in primo Angelo.

3. Deinde aduertimus, huiusmodi personas considerari posse, vel in via: vel in termino. De priori statu, scilicet viae, procedit maxime quod diximus, & ita omnes viatores per se loquendo, sunt capaces fidei, imo per ipsam Fidem incipiunt aliquo modo ingredi viam salutis. Dixi autem per se loquendo, quia licet status viatoris actum Fidei postulet, & ideo quilibet viator de se sit capax illius, & Deus quantum in se est, paratus sit ad illum praestandum: nihilominus ex parte hominis, potest esse impedimentum, ratione cuius sit incapax huiusmodi actus. Triplex autem potest esse hoc impedimentum. Primum est, carentia usus rationis, ut est in amentibus, & in infantibus: nam licet Deus extraordinario, & miraculoso modo possit hunc actum infantibus concedere, ut de Beata Virgine, & de Ioanne Baptista credimus: id tamen non pertinet ad ordinariam legem gratiae: esset enim erroneum dicere, huiusmodi actum esse infantibus necessarium ad salutem, ut infra dicitur: vantum autem, vel etiam temerarium esset dicere de facto concedi aliquibus sine Ecclesiae, vel Patrum auctoritate. Aliud impedimentum potest esse ignorantia: nam, qui non audit res Fidei non potest, secundum ordinariam legem, habere actum eius, quia fides ex auditu. Et licet Deus per causas veluti vniuersales, sufficienter prouideret modum, quo verbum Fidei ad omnes possit peruenire, tamen in particulari, non semper ad omnes peruenit, neque Deus ex vi ordinariae prouidentiae tenetur semper huiusmodi impedimenta tollere, quantum ex speciali gratia saepe id faciat. Tertium impedimentum est haeresis: nam qui in vno articulo pertinaciter errat, nihil vera fide credere potest, propter connexionem, quam omnia credenda habent in formali ratione obiecti Fidei, ut supra declaratum est, & in sequentibus iterum attingetur.

4. Addendum denique est circa hanc partem, sub viatoribus comprehendi etiam animas in purgatorio existentes: quod etiam attingi in to. de poenit. disp. 47. sect. 2. in fine, nam illae nondum ad vltimum terminum perueniunt, & ideo licet in morte inciperunt a via discedere, non dum tamen viam absoluerunt, & ideo adhuc per fidem ambulant, nam sunt iustae, & Deum ex charitate amant super omnia: ergo necesse est, ut illi etiam supernaturaliter cognoscant: non cognoscunt autem per speciem: ergo per fidem. Denique nihil in eis est, quod cum actu fidei repugnet: nam reuelatio obscura quam in hac vita habuerunt, in eis permanet, solumque videri potest facta euidencior, per aliquarum rerum experimentum: illa autem experientia non transcendit euidenciam in testificante, & ideo non excludit actum fidei, ut supra visum est.

5. Superest dicendum de statu termini: qui est duplex, scilicet beatitudinis, & damnationis. Et de primo quidem fuit opinio Alen. in 3. p. q. 64. memb. 7. Dur. in 2. d. 32. q. 3. & 4. & Argen. ibi art. 3. quibus fauere videtur Magist. in 3. d. 23. §. Aliud enim, dicens non repugnare fidem statui beatitudinis, & licet de habitu praecipue loqui videantur, tamen etiam extendunt sermonem ad actum. Fundamentum est, quia visio & fides non repugnant, nisi tanquam actus perfectus, & imperfectus, qui possunt simul esse in Beatis: nam scientia abstracta comparata ad intuitiuam imperfecta est, & tamen utramque simul habent Beati de Deo: similiter se habent scientia naturalis, & supernaturalis: & nihilominus manet scientia naturalis, in Beatis. Item etiam prophetia

Dicta Fidei
capacitas
maxime ha-
betur in via

Nisi obster-
catia usus
rationis.

Aut praedi-
cationis.

Aut haeresis
circa aliquam
rem de fide

Animae pur-
gatorii ad-
huc ambu-
lant per fidem.

Disputatur
quartio de
non viatori-
bus beatis.
i. opinio as-
firmans.

Eius funde-
mentum.